

VERSION 8

SUÉTONE, *Vie de César (Vita diui Iuli)*, 49

César, reine de Bithynie

[49] (1) Pudicitiae eius¹ famam nihil quidem praeter Nicomedis² contubernium laesit, graui tamen et perenni obprobrio et ad omnium conuicia exposito. (2) Omitto Calui Licini³ notissimos uersus :

« ... Bithynia quicquid

et pedicator Caesaris umquam habuit. »

(3) Praetereo actiones Dolabellae et Curionis patris, in quibus eum Dolabella « paelicem reginae », « spondam interiorem regiae lecticae », at Curio « stabulum Nicomedis » et « Bithynicum fornicem » dicunt. (4) Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum « Bithynicam reginam eique antea regem fuisse cordi, nunc esse regnum ». (5) Quo tempore, ut Marcus Brutus refert, Octavius etiam quidam, ualitudine mentis liberius dicax, conuentu maximo, cum Pompeium « regem » appellasset, ipsum « reginam » salutauit. (6) Sed C. Memmius etiam ad cyathum ei Nicomedi stetisse obicit, cum reliquis exoletis, pleno conuiuio, accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. (7) Cicero uero, non contentus in quibusdam epistulis scripsisse a satellitibus eum in cubiculum regium eductum in aureo lecto ueste purpurea decubuisse floremque aetatis a Venere orti in Bithynia contaminatum, quondam etiam in senatu defendenti ei Nysae causam, filiae Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti : « Remoue, inquit, istaec, oro te, quando notum est, et quid ille tibi et quid illi tute dederis ! » (8) Gallico denique triumpho milites eius inter cetera carmina, qualia currum prosequentes ioculariter canunt, etiam illud uulgatissimum pronuntiauerunt :

« Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem :

Ecce Caesar nunc triumphat qui subegit Gallias,

Nicomedes non triumphat qui subegit Caesarem. »

(225 mots)

¹ Ce pronom désigne César.

² Nicomède était le roi de Bithynie.

³ Lucinius Calvus (82-40) était un orateur et un poète ami de Catulle.